UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quadragesimale

**Paoletti, Agostino**

**Coloniae Agrippinae, 1677**

Feria II. post Domin. III. Quadragesimæ. 17. Christus in patria miracula facere renuit, quia in iis petendis nimium arrogantes erant; unde colligitur, quàm ingens sit human temeritas.

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

occupatio eſt, quod claudam peccatorum marſupium, ne ſatisfaciant per reſtitutionem iniquè partorum. Et revera ita fit, nam peccatores in hiſce tribus punctis à Diabolo ſe vinci permittunt, ut ſcilicet cor, os, & marſupium ipſorum occludat, dum eos confeſſionem vel prorſus negligere, vel ſaltem differre procurat. Et quando aliud efficere nequit, peccatorem ſaltem ad minus mutum facere nititur, ejuſque os claudit, ne aliqua ſaltem peccata confiteatur, ſed ex verecundia vel ob alios reſpectus humanos eadem omittat: *De neceſſitate confeſſionis eſt, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet, quod ſi non faciat, non eſt confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio.* inquit Doctor Angelicus D. Thomas ubi ſuprà quæſt. 9. art. 1. Porrò Dæmon, qui os peccatoris claudendi officium habet, ut Sanctus Chryſoſtomus tradit, hac utitur aſtutia. Cùm enim Deus peccato verecundiam velut individuam comitem adjunxerit, confeſſioni autem ſpem aſſociarit; Quid facit Dæmon? Is optimum hunc à Deo ſtatutum ordinem ſuſque deque invertit, induendo peccatum veſte ſpei, nam dum malum nobis perſuadere nititur, repræſentat nobis ob oculos divinæ miſericordiæ magnitudinem, fragilitatem item humanam, cui Deus compatiatur & ſimilia multa: ubi verò peccatum perpetratum fuerit, veſtit confeſſionem pallio verecundiæ, tuæque menti ſuggerit, quod confitendo illud, magnum tibi crees honoris & reputationis tuæ præjudicium, eò quod Confeſſarius nunquam hactenus credidiſſet te adeò gravia & enormia commiſiſſe peccata, qui proinde ſcandalizabitur, aut abſolutionem tibi impertiri vel non poterit, vel certè detrectabit, & alia ſimilia. *Pudorem & verecundiam Deus dedit de peccato, confeſſioni fiduciam: Invertit rem Diabolus, & peccato fiduciam præbet, confeſſioni pudorem & verecundiam.* Ita Sanctus Chryſoſtomus homilia tertia de pœnitentia. Non quidem tibi, ô peccator, prohibetur in confeſſione verecundia, hæc tamen talis nequaquam eſſe debet, quæ ad ſimilem te inordinationem inducat. *Caveat*, inquit Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 26. *ne ductus peccator verecundia dividat Confeſſionem.* De certo quodam piſce marino, qui ſcolopendra, vel ab aliis Centipes dicitur, ſcribunt Naturaliſtæ, quod dum eſcam per gulam trajiciendo ſentit, ſe una cum illa hamum quoque deglutiviſſe: *Omnia viſcera ſimul cum hamo evomitione ejiciat, & ſic ab hamo diſſolvatur.* Enimverò quod ſi à ſenſualitate illecti, mundanæ alicujus delectationis eſcam degluiendo, nos quoque ab hamo ſimul captos eſſe experiamur, teſte Sapiente, dum ait: *Sicut piſces capiuntur hamo, ſic homines in tempore malo,* neceſſum tunc eſt, ut omnia & ſingula peccata noſtra confiteamur, ita ut nulla prorſus culpa in anima noſtra remaneat: *Nulla ſit culpa intus latens, quæ foras per confeſſionem non exeat.*

---

# SERMO XVII.
# IN FERIAM SECUNDAM DOMINICÆ III. QUADRAGESIMÆ.

*Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Lucæ cap. 4.

1. OBligatio qua quilibet homo erga patriam ſuam obſtringitur, ut ei ſe gratum, & beneficum ſemper exhibeat, adeò eſt magna, ut eam Magnus Demoſthenes demonſt. ex orat. de coro. civ comparaverit gratitudinis vinculo quo Patri & Matri obſtricti ſumus: *Arbitretur ingenuorum quiſque, non Patri & matri ſolum eſſe natum, verum*

*rum etiam patria.* Unde Pythagoras à neſcio quo interrogatus: *Quomodo oporteat ſe gerere erga patriam,* reſpondit: *Ut erga matrem.* Imò Sopatriam, reſpondit: *Ut erga matrem.* Imò Socrates amorem patriæ amori matris præponderare volebat: *Solet fere quiſque erga ſuam patriam magis propenſus eſſe.* Ecquis etenim eſt, qui neſciat, quod, ſi Romanæ facundiæ parenti fidem habemus, quilibet utilitatem patriæ propriis debeat commodis anteponere: *Omnia quæ à nobis geruntur non ad noſtram utilitatem & commodum, ſed ad patriæ ſalutem conferre debemus;* adeò ut quiſquis ab hac ſemita deviat ſeque elongat, ex mente ejuſdem Oratoris, ingrati & impii hominis notam ſibi conciliet: *Nemo eſt tam ingratus, tam impius, tamque nullius humanitatis, qui ſi patriæ merita reſumere velit, non ipſam magis quàm ſeipſum diligat:* Unde Plato inſinuat: (Patriæ amorem nobis longe chariſſimum eſſe debere, & pro eodem vitam, ſi oportuerit, eſſe in diſcrimen vocandam) Hi erga patriam gratæ correſpondentiæ actus à multis non ſolum ... ſed & firmiter fuere obſervati (Legimus ... tuenda patria alios ſtrenue bellando inter ... oppetiiſſe, alios ſibi certam elegiſſe mortem) inquit doctus Joannes Franciſcus Pic. Mirandulanus de morte Chriſti, libro ſecundo. Mutius Scævola pro patria ſanguinem ſuum ... non dubitavit, exiſtimans fortaſſe obligationem adeò ſtrictam & fortem aliâ monetâ quàm ſanguinis exſolvi non poſſe: (Hominem pro patria mori, non eſt mori, ſed ſolvere quod debet) Generoſa illa mulier, quæ Lacena dicebatur, audiens duos ſuos filios, qui pro patria intrepide præliati fuerant, in bello fuiſſe occiſos, nuncium hoc læto vultu & abſque ulla amaritudine animi accipiens, Deum laudavit, quod filiorum ſuorum jacturâ patriæ univerſæ pepeiſſet victoriam: (Libenter accipio filiorum interitum,) quæ proinde poſtea à Plutarcho in Laconicis valdè celebrata fuit, dum ait: *Egregia mulier privatum in liberos affectum publicæ in patriam pietati poſthabuit.* Cum Codrus Athenienſium Rex ab oraculo monitus fuiſſet, quod in bello cum Peloponenſibus ineundo illa pars victrix futura eſſet: *Cujus Princeps bello periret,* ut Athenienſes victoriæ gloriam reportarent: *Gregarium ſe fingens militem, inimicis ſe occidendum præbuit.* Viva quoque in hominum memoria etiamnum conſervatur generoſum illud Curtii facinus, qui in profundam quandam ſe præcipitavit Vulcani voraginem, ut morte ſua ſalva & incolumis conſervaretur univerſa patria. Ad æternam quoque poſteritatis memoriam in mentibus hominum etiamnum vivit animus ille heroicus, qui Catoni præcepit: *Pugna pro propria!* diligens obſervator velut aggerem quendam validiſſimum, imò quaſi potentiſſimum aliquem exercitum ſe expoſuit, & oppoſuit inimici furoris pertinaci impetui, ille inquam nunquam ſatis pro meritis celebratus, qui ſolum adverſus univerſam ſe oppoſuit Liguriam ſive Tuſciam; & meritò, nam ad hoc movebatur ex fide in patriam: *Pluris fecit patriæ ſecuritatem, quam vitam præſentem, & quæ illi adhuc reſtabat.* O animos generoſos! ô corda intrepida, quæ non dubitant ei vitam reddere in feretro, à qua illam dono acceperunt in cunis: *Beati quicunque pugnantes pro patria* (dicebat Xenophon) *victores evadunt, illis enim lætiſſima dies fulgebit: beati etiam ii qui in acie cadunt, memoriam enim ſempiternam cunctis divitiis præſtantiorem conſequuntur.* Unde nullus eſt qui non voce pariter & opere veram fateatur eſſe illam Tullii ſententiam: *Patriæ omnia, & vitam etiam debemus, hæc nos honeſte produxit ad hanc ætatem.* Cur igitur unigenitus Dei Filius, qui *dat omnibus affluenter,* adeò ſe erga patriam ſuam Nazareth incivilem & inurbanum exhibet, dum rogatus à ſuis, ut ſe quoque gratiarum miraculorumque ſuorum redderet participes, dicendo: *quanta audivimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua;* ſe ad hanc illis gratiam præſtandam invitum prorſus & involuntarium eſſe oſtendit, dicens: *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Id quod multis ſacris Scriptoribus juſtam præbuit ſummæ admirationis occaſionem, quorum unus ita interrogat: *Quare illam ſaltem fidelitatem & amorem patriæ ſuæ non præbuit, quam alii ſuis patriis præſtiterant? Quare civium ſuorum petitionem non admiſit?* Multas quidem ſacri Doctores hujus rei cauſas in medium adducunt, præcipua autem eſt (inquit ſanctus Gregorius) quia idipſum à Chriſto poſcerunt cum arrogantia: Nunquid enim illos auditis dicentes: *Fac & hic in patria tua,* potius cum debita reverentia & reſpectu dicere debuiſſent ſubmiſſe *Optamus, obſecramus ut facias;* ita autem non dicunt, ſed fac, id eſt, volumus, præcipimus ut facias. O quanta arrogantia! ô quam præſumptuoſa temeritas. *Iſti quidem erant arrogantiſſimi.* Secundò verò petitionem illorum admittere noluit, quia nulla ratione ad hoc induci voluit, ut gratiam præſtaret illis, qui ratione parentelæ, vel patriæ propinqui vel Patriotæ ejus

*Cato.*

*Polybius in hiſt. l. 6.*

*Zenoph. de rebus Geſt. Græco. l. 2.*

*Luc. 4.*

*Phi. Diez ibi.*

erant. Magis inclinatur ad benefaciendum Capharnaum, quam Nazareth id eſt remotis potius quam vicinis. Quòd latius expoſiturus ſum rogans, ut dum ego in diſcurrendo brevitati conſulo, vos debita me attentione auſcultetis.

2. Poſtquam Filius Dei ab Ægypto rediit, in Civitate Nazareth habitando remanſit viginti novem annis, ut adimpleretur Prophetia: *Quoniam Nazaræus vocabitur:* Tandem verò triginta annorum ætatem aſſecutus prædicare & miracula facere voluit, ut ſe verum oſtenderet eſſe Deum, & verum hominem; atque ideò relicta Nazareth ſeceſſit in Capharnaum, utpote in qua civitate magnus erat diverſarum gentium concurſus, ibique prædicationem ſuam authorizabat operibus miraculoſis, illuminando cæcos, ſurdis auditum reſtituendo, mutis loquelam, claudis greſſum, obſeſſis à Dæmonibus libertatem, mortuis vitam; adeò ut tota illa civitas eſſet attonita & obſtupefacta, ejuſque fama per omnes paſſim regiones divulgari cœperit: poſtea verò ex Capharnaum civitate maritima rediit in civitatem ſuam Nazareth, ibique pariter initium fecit prædicandi tanta cum energia & eloquentia, ut univerſum faceret mundum obſtupeſcere; verum quidem eſt quod valdè parcus fuerit in patrandis ibidem miraculis, quæ quaſi nulla apud eos fecerat; quæ cauſa fuit, cur multi è præcipuis curioſiores lamentati fuerint, quod Capharnaum patriæ ſuæ prætulerit, dicentes: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, id eſt, valdè magna* exponit ſanctus Vincentius Ferrerius. Et poſtea ſubjungunt: *Fac & hic in patria tua.*

*Vinc. Ferr. fer. . Fer. 2 poſt Dom. 3 Quadr.*

*Vinc. Ferr. ubi ſup.*

O quænam eſt hæc temeritas, præcipere ut faciat, quaſi debito juſtitiæ id, quod vix deberent præſumere, ut poſtularent ex gratiâ, poteſtne arrogantior hac audiri præſumptio? veruntamen pro majori evidentia doctrinaliter hac de re diſcurramus.

3. Temeritas eſt paſſio quædam appetitus iraſcibilis, quia temeratius aggreditur facinus aliquod non minus periculoſum, quam difficilè, eſtque è diametro puſillanimitati oppoſita, juxta doctrinam Philoſophi lib. 2. Ethicorum. Hæc autem paſſio duobus modis conſiderari poteſt, vel in quantum regulatur à prædominio rationis, & hæc non eſt damnabilis, imò laudabilis, cum ſit actus fortitudinis, vel generoſæ magnanimitatis, de qua in præſenti non intendo loqui: aut in quantum non regulatur à recta ratione, ſed potius conformatur intellectui falſo, & hæc eſt deteſtabilis & peccaminoſa. Præterea advertendum eſt, quod duobus modis intelligi poſſit hanc paſſionem irregulatam eſſe, ſcilicet vel per exceſſum, ut ſi quis verbi gratia ſperaret vel ſalvari ſine merito, vel quod Deus illi remitteret peccata mortalia ſine pœnitentia; non habendo reſpectum aut reflexionem ad contemptum juſtitiæ Dei quæ ordinavit, ut dicit Cajetanus: *Vt juſtitia mediante gloriam pro meritis & veniam pro pœnitentia faciat.* Et poſtea ſubjungit: *Cum præſumptione contemnitur iſte ordo, ac per hoc divina juſtitia: Contemnitur quoque divina virtus ad opus pœnitentiæ, per quam venitur ad veniam, & ad opus meriti per quod venitur ad gloriam.* Aut poteſt eſſe paſſio irregulata per defectum, ſicut ſi alius culparum ſuarum conſiderans gravitatem, exiſtimaret merita Chriſti ad eum ſalvandum non eſſe ſufficientia, & proinde cum Caino deſperatus diceret: *Major eſt iniquitas mea quam ut veniam merear* Petitio Salvatori noſtro per Verbum Fac, propoſita, magnam in ſe temeritatem continet, quia immoderate tranſgreditur terminos modeſtiæ, quæ vult ut ea quæ poſtulantur, cum ſubmiſſione, non verò cum faſtu petamus. Fuit irregulata & peccaminoſa per defectum, quia ut ſcribit Maldonatus: *Poſtulabant non fide ut crederent ſed incredulitate.*

*Ariſt. 2. Ethic.*

*Io Viguer de audacia*

4. Porro S. Thomas docet præſumptionem, vel temeritatem ex duabus cauſis valdè malignis naſci poſſe. Prima eſt vana gloria, *quia innititur propriæ virtuti, attentans aliquid ut poſſibile ſibi, quod propriam virtutem excedit.* Id quod S. Gregorius confirmat dicens: *Præſumptio eſt filia inanis gloriæ.* Secunda cauſa eſt ſuperbia: *Quia innititur inordinate divinæ miſericordiæ vel potentiæ, per quam quis ſperat aliquid obtinere ſine meritis;* ut ſuperius diximus. Præſumptuoſum illud Fac Hebræorum, proles erat vanæ gloriæ, quia Chriſtum propè ipſos miracula facere volebant, nulli alteri meritò innixi, quàm quod Nazareni, & conſequenter compatriotæ ſui eſſent. Erat etiam fœtus quidam ſuperbiæ, quia ſine aliquo merito proprio præſupponebant, quod Filius Dei ex obligatione adhibiturus eſſet ad minimum eorum nutum ſuam omnipotentiam, & operaturus miracula, quia ipſi id ei præcipiebant, dicendo: *Fac.* Quod ſi igitur ſcire vultis cujus conditionis & naturæ Verbum hoc, *Fac*, fuerit, ſufficiet dicere, quod ſit extractum quoddam ſive quinta eſſentia ex vana gloria & ſuperbia; veſtrum nunc demum erit conjicere an bonum eſſe poſſit; Hac autem, Scribæ & Phariſæi pleni erant.

5. Tres autem reperiuntur præſumptionis gradus, ſcilicet, *nequam, nequior, & nequiſſimus.* Reinerus de Piſis dicit quod præſumptio nequam ſit, ſi quis verbi cauſa ſe florem & quintam eſſentiam Sanctitatis eſſe, nec Deum unquam cogitatione, *delectatione, vel conſenſu;* aut *emiſſione, vel locutione, vel tranſgreſſione,* offendiſſe crederet, quam bonitatem nullus ſibi arrogare poteſt, præterquam Chriſtus & Maria. Unde in Proverbiis dicitur: *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.* Imò omnes univerſim Sancti, quantumcunque fuerint juſti, aliud non dixerunt, nec dicturi eſſent, ſi adhuc viverent, quam *dimitte nobis debita noſtra,* ubi expoſitores per debita, peccata intelligunt. Præſumptio autem quæ *nequior* dicitur, id eſt, pejor & deterior prima eſt, ſi quis adeò ſe perfectum eſſe præſumeret, ut etiam ſine auxilio gratiæ Dei ſibi promittere auderet, quod in toto curſu vitæ ſuæ conſtans manere & in bono ſe conſervare poſſet, non reflectens oculum ſuum ad illud Apoſtoli monitum dicentis: *Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat,* prouti Lucifero accidit, cui dictum eſt: *Quomodo cecidiſti Lucifer?* Tertius præſumptionis gradus eſt illius, quæ *nequiſſima* appellatur, ſive temeritas peſſima, eſtque eorum [illegible], qui alios contemnunt, de quibus ſanctus Lucas ſcribit, *quod in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur cæteros,* in quovis bonitatis genere ſe omnibus aliis reputando ſuperiores. Porrò in hac tertia Categoria continebatur illud Fac horum ſceleratorum præſumptuoſorum, quia contemnebant omnes, ſeque eos in perfectione excedere cenſebant, qualis Saul erat in ſtatura, qui univerſo exercitui Iſraelis præeminebat ab humero & ſurſum; imò eo uſque progrediebatur ipſorum præſumptuoſa temeritas, ut ſeipſos met Dei Filio in authoritate majores eſſe reputarent, ſiquidem eum non rogabant, ſed præcipiebant illi, ut nova faceret miracula: *Fac & hic in patria tua;* volebantque ut ad minimum nutum unius ſimplicis *Fac*, eis obtemperaret. Hæc præſumptio talis erat, quæ omnia in ſe habebat requiſita, quæ ad exorbitantis temeritatis malum requiruntur. unde quia Chriſtus Dominus noſter naturalem adverſus temeritatem illam habebat antipathiam & odium, nequaquam operæ pretium eſſe exiſtimabat eorum deſiderio condeſcendere. Id quod, ut ſcribit ſanctus Gregorius Nyſſenus: *Nos erudire ac inſtituere videtur, ut nequaquam dum cum Deo colloquimur quaſi purâ conſcientiâ præditi confidenter, & arroganter loquamur, etiamſi quàm maximè quis ab humanis delictis procul abſit.*

6. Porrò videamus per adducta ſcripturarum loca, quàm profundè maledicta funeſtæ temeritatis, arrogantiæ vel præſumptionis arbor in hominum cordibus ſit radicata. Etenim Goliath gigas adeò immenſæ ſtaturæ erat, ut animata quædam turris eſſe videretur; inter milites Philiſtæos comparebat velut Elephas inter formicas; obtutus ſui fulmine terrefaciebat, & dexteræ ſuæ valore proſternebat quotquot habebat obvios; immenſitas corporis ſui proportionata erat faſtuoſo auſui & arrogantiæ ſuæ, per quam ſe invincibilem, & conſequenter formidabilem reddebat. Quivis animus etiam generoſiſſimus coram eo timidus fiebat & puſillanimis, timor perdendi victoriam ne quidem obiter in ejus pectore locum habere poterat, nuſquam oculos ſuos declinabat, quin incuteret terrorem, nil tangebat, quin vulneraret, ſuiſq; irreparabilibus ictibus quælibet fortiſſima chalybs quaſi ſcutum vitreum eſſe videbatur; ad unicum pedis ſui motum copiæ ſternebantur inimicorum ſuorum, adeò ut per antonomaſiam exercituum terror appellaretur. Tanto erat faſto tumidus, ut aggreſſus fuiſſet tot acies armatas, quot erant Iſraelitici milites; ad confringendas civitatum portas nullâ utebatur aliâ baliſtâ, aut belli machinâ, quam unica percutiente dexterâ; denique ſuperbia ejus humiliatam, & ad pedes ſuos proſtratam habere videbatur Luciferi ſuperbiam, adeò ut velut novus quidam eſſet inter ſuperbos Lucifer, ſicuti erat immenſus gigas inter homines. Verum rem audite incredibilem! Unicus paſtor armorum tractandorum inexpertus: ovibus, non verò militibus aſſiſtere: Fundis, non verò haſtis tractandis: lacti mulgendo, non ſanguini effundendo: ad audiendos raucos boum & ovium balatus, non verò tympani ſtrepitus: ad congreganda armenta, non verò ad acies militum ordinandas: ad portandum baculum, non verò ad ferendum enſem: ad jaciendos lapides, non verò ad ejaculandos globos plumbeos: ad detondendam lanam, non verò ad detruncanda capita: ad educandum in paſcuis capreas, non verò ad tollendum unà cum hoſtilitate hominum vitas aſſuetus: uno verbo: unicus duntaxat paſtorculus, ſilentii amicus, qui in ſylvis pace gaudet, eorum verò, qui ad inquietandum hominum animos in campo martis naſcuntur, tumultuum inimicus: non armatus ferro, aut

chalybe

chalybe, ſed prorſus inermis, & nudus ab omni militari ſuppellectile; cui Deus tantos indidit animos, ut generoſus evadens cum hoc truculentiæ & arrogantiæ monſtro ſingulare certamen inire non dubitaverit, intrepido enim animo obviam ei procedens lapidem quendam ex funda jaciens illi frontis ſuæ parti, quæ ſola ab armis nuda remanſerat, infixit tantâ cum vehementiâ, ut hoc ſolo accepto vulnere tali cum ſtrepitu retrorſum corruerit, ut inde terra tremuerit: quod horribile & formidabile monſtrum protinus ut in terram proſtratum fuit, aggreſſus eſt, ut vitam ei pariter adimeret, quia verò inermis enſe carebat, ad eum effectum neceſſario, *Tulit gladium ejus, præciditque caput ejus*, percuperem hoc loco ſcire, ubinam giganteus gladius fuerit, quando David Paſtor eum ad occidendum gigantem arripuit, ex quo loco illum accepit? Num fortè gigas eum pugno tenebat, aut è manibus in terram ei deciderat? Scripturâ teſte in vagina reconditus erat: *Eduxit eum de vaginâ ſuâ.* Sed quomodo? Ergone gigas adeò parum bello gerendo expertus erat, ut ad conſpectum inimici non apprehenderit ferrum, ſed illud quaſi obdormiens & otioſum in vaginâ reliquerit? Audite incredibilem Goliæ temeritatem. Videbat Davidem adoleſcentulum armis gerendis inſuetum, belli gerendi inexpertum: & proinde arroganter præſumebat, eundem calcibus ſuis ad quatuor milliarium diſtantiam procul abjicere, vel unico flatu oris ſui in aera abigere, vel objectis minis annihilare: ac proinde velut plus nimium temeratius ſe proprio robori præjudicaturum eſſe exiſtimavit, ſi adverſus juvenem, non verò adverſus integrum exercitum ferro uteretur, quodque ſanguis unius duntaxat plus ſuam maculaſſet famam, quàm honoraſſet enſem: *Adeò Davidem contemnebat, ut indignum ſuâ virtute judicarit ferrum contra eum diſtringere, & imbuere ſuum gladium unius adoleſcentuli cruore*, inquit Pater Mendoza: O quanta temeritas!

*Franc. Mendoza t. 1. in lib. Reg. lib. 1. ap. 1. n. 8.*

7. Verùm quid de gigante illo loquor, in quo ob ſtaturæ ſuæ immenſitatem aliqua videri poterat temeritatis vel arrgantiæ concipiendæ apparens ratio? Cum hic defectus omnibus hominibus humilis meriti & exiguæ bonitatis ſit ſemper communis. Porrò ponderatione digniſſimus eſt modus, quem Filius Dei in noviſſimo judicii die electos à præſcitis ſeparaturus tenebit: nam in throno majeſtatis, inter Angelos, regio amictus habitu ſedebit, & converſus ad dexteram brachium ſuum extendet ad congregandos omnes juſtos eoſque ſecum ad æternam beatitudinem conducendos, hiſce vocibus præinvitatos: *Venite benedicti*; deinde verſus ſiniſtram ſe vertens, facie iratâ, & ob vindictam flammivoma poſt exprobratas iis cunctas iniquitates per minas & ſupplicia eos à ſe propellet dicendo: *Diſcedite à me maledicti.* Ubi præcipuè notanda eſt differentia modi, quo Chriſtus cum peccatoribus & juſtis procedit: hiſce dicit: *Venite benedicti*, vocat illos ut ad ſe veniant, quod ſignum eſt illos procul à Chriſto in unum locum ſeorſim congregatos ſtetiſſe: aliis verò ſubjungit: *Diſcedite à me*, ex quibus verbis colligitur, quod propè ipſum ſteterint. Quænam eſt hæc mira utriuſque conſiſtendi ratio, ut im pii Dei ſint collaterales, & veluti ephebi vel ſocii illius cum ipſo procedant, Sancti verò procul à Deo ſe ſubducant, quaſi non audentes comparere in ejus conſpectum! Nunquid hi ſunt ejus dilecti? Et nunquid illi ejus ſunt inimici? Solent Principes ad latera ſua eos duntaxat admittere, qui eorum ſunt fideliſſimi amici, non verò de quorum integritate diffidunt, confœderati ſolent eſſe bonis, non verò malis, & tamen videtur, quod à principio magis honorentur perverſi, quam Dei amici, cum certa ſit lex: *Dicitur magis honorari, qui ſedet prope Dominum, & tanto major, dignior dicitur & altior.* Adeò ut in hoc præcipuè puncto mundus ejuſque ordo totaliter ſit ab æquo & bono inverſus. Verùm nolite mirari, ô Auditores, quia tantum audet temerariorum præſumptio. Etenim diaboli mancipia adeò ſunt communiter temeraria & arrogantia, ut ipſos ſervos Dei præcedere præſumant, carbones inferni locum eripere volunt carbunculis paradiſi, voluntque Empyreum inferno eſſe ſubjectum, de quibus proinde meritò dici poteſt: *Homines viles, abjecti, reprobi, quorum merita ſunt ambitio & malitia: malitioſi Sathanæ ad inſtar impensè ſatagunt adeſſe principibus, eorum liminibus invigilare, pro aulis aſſiſtere, & conſpectui eorum obſequentiſſimi adeſſe*; at verò tandem in fine tractantur pro meritis & juxta legis deciſionem: *Si inferior temere intrudat ſe in locum majoris, majorem honorem quàm ei debeatur aſſumendo vel uſurpando, debet ſuo honore privari* Id quod reprobis accidit, quando à Chriſto, juſto judice, tremenda illa ſententia pronuntiatur: *Diſcedite à me maledicti.*

8. Veruntamen nil mirum eſt, quod homo in ordine ad alium hominem temerarius ſit, quia inter

inter hominem & hominem res ex æquo proce-
dunt; at verò quod creatura aliqua ſe erga Deum & creatorem ſuum præſumptuoſam demonſtret, hoc eſt quod vel maximè obſtupeſcendum venit. Id quidem impoſſibile eſſe videtur, ut credatur, veruntamen adeò id certum eſt, quàm verum eſt ſolem ſplendere, vel ignem caleſcere. Ductu etenim Spiritus ſancti Salvator noſter in deſertum conceſſit, ut cum avernali hoſte ibidem ſingulare certamen iniret. Quem poſtquam in eodem loco quadraginta diebus in continui jejunii exercitio præſtolatus fuiſſet, tandem comparuit in venerandi cujuſdam Anachoretæ ſimilitudine rudi habitu, qui cilicio non abſimilis videbatur, veſtitus, quaſi carnis ſenſualitatem adverſus rectam rationem pugnantem maceraturus, neminem in ſua habebat ſocietate, ſed ſolus comparuit, hoc ſolum excepto, quod magna fraudum, dolorum, technarumque caterva veniret ſtipatus. Quoad vultus aſpectum unius cujuſdam pœnitentis referebat effigiem, licet cor haberet quovis ſaxo in malo magis induratum. Comæ ſuæ canitie candorem quidem demonſtrabat puritatis, licet in interiori animũ haberet quovis carbone nigriorem; intricatæ & rugoſæ frontis aratæ lineæ, prognoſtica erant confuſionis, quam gerebat in mente, per ſqualidam barbæ canitiem ad cingulum uſque ſe protendentem ætatem repræſentabat maturam, & liberam quandam malitiam temporis diuturnitate & frequentato ſæpius illius exercitio comparatam. Groſſo quodam circa lumbos fune præcinctus erat, quem interius immenſæ groſſitiei malitia fortiter conſtrictum tenebat. Pedem nudum callus induraverat vetuſtatis, è quo facilè erat conjicere voluntatem quandam odio contectam & in malo habituatam: Dentes ejus pauci & rari admodum erant, adeò ut in ore ejus vix videri poſſent, quàmvis auctor invidiæ dentes, quos ad rabiem ſuam evomendam intus habebat reconditos ſine numero numeraret: Dextera ejus quidem nodoſo ſtipiti ſeu baculo innixa vacillabat, ècontra verò temerarius ejus auſus tantò magis ſeſe erigebat in altum: Dum in conſpectu Chriſti comparere: lapidibus inſtructus & ſtratagematibus obarmatus, pater eſſe videbatur charitatis, nam duos è manicis lapides producens cum ſimulata pietate dixit: Compatior abſtinentiis tuis plus nimium auſteris, ac proinde ſincera erga te condolentia permotus in hanc eremiticam ſolitudinem, ut te viderem, venire decrevi, nam quia tanquam vetereanus in rebus ad Dei honorem & animarum noſtrarum ſalutem pertinentibus majori præditus ſum experientia, ex pietate me obligatum eſſe cenſeo ut tibi conſulam, ne adeò erga temetipſum ſis rigidus, debitum enim rectæ rationis ordinem prætergreditur, quiſquis in abſtinentiarum aſperitate terminos æquitatis excedit. Meæ quidem paupertati fortuna aliud non concedit quàm hoſce lapides, verumtamen tibi, ſi filius Dei es, & ex nihilo cuncta creaſti, facillimum erit ex hiſce lapidibus panes efficere: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Enimverò qui hanc actionem diabolicam attentè non conſiderat, illam utique è charitate procedere exiſtimabit, ego verò ſummam temeritatem fuiſſe cenſeo, ac ſi intra ſemetipſum hunc in modum ſermocinatus fuiſſet. Scio quidem, & invitus ſcio, Deum decreviſſe humanam naturam aſſumere, atque ex tot viſis in terra cæloque ſignis de hujus divinitate ſum quaſi certus; attamen quia nunc eſt famelicus à quadraginta diebus, pane utique opus habebit, ac proinde hos illi lapides ſum allaturus, ſi ex illis panem effecerit, cumque manducaverit, dicetur confeſtim in mundo me Deo famelico ſubveniſſe, Deumque creatorem me ſua creatura opus habuiſſe, Deumque factum hominem ſumptibus meis ſuſtentatum fuiſſe, qui alias ſine meo ſubſidio propter neceſſitatem moriturus fuiſſet fame. O temeritas diabolica! ô inaudita præſumptio! Eſt hæc ſpeculatio ingenioſi cujuſdam expoſitoris, dum ita ait: *Aſtutè ſatagit panes offerendo ut palam prodatur & latè publicetur vel Chriſtum Deum ejus ope indiguiſſe, & ipſum ipſiuſque induſtriam fuiſſe in eremo neceſſariam ut homo Deus ſuſtentaretur, quo magnum nomen apud homines captare præſumebat.* Sed dices: Poterat Deus ad minus miraculum facere tranſmutationis lapidum in panem, & tamen panem non manducare. Sic enim Dæmon intentum ſuum non obtinuiſſet, uti temerè ſperabat, & tamen eum de ſua divinitate certificaſſet: poterat id quidem ſine dubio, non tamen condeſcendere voluit in præſumptionis adeò temeratiæ beneplacitum, eò quod *Dic* dæmonis, & *Fac* Phariſæorum, modicè differant, alias enim eodem modo imaginari nobis poſſemus, quod in ſua etiam patria prodigioſa ſigna operari debuiſſet, ſed arrogantia eorum dicendo *Fac* idipſum impedivit. Unde colligere poſſumus quantum hic defectus Salvtori diſpliceat.

*Matth. 4.*

*Didac. de Cel. in c. 6. v. 9. Tobiæ §. 137. n. 3.*

9. Deus optimus Maximus memor illius, quod Amalecitæ Iſraelis populo fecerant, dum

bellum illis in Raphadim moverent, vices illis debitas rependere decrevit, eoque fine Regi Sauli inſinuat, ut exercitum quendam formidabilem in aciem diſponat, ipſamque Amalec civitatem obſidione cingat: obedit Saul, & milites ſuos in ordinem diſponit, cum eo caſtra metatur, circumcirca muros ſive mœnia Amalec obſidione cingit, ingrediuntur turmatim milites, omnia igne flammaque devaſtantes, quemvis obvium occidunt, diruunt turres, ædificia invertunt, fortalitia demoliuntur, omniaque in favillas cineresque redigunt, adeò ut ex palatio regio ne vel minimum reliquum manſerit monumentum, cui ſtragi totus diſtrictus qui inter Navila & Sur continebatur, ſubjacuit, ipſeque Rex Agag captivus traditus eſt in manus Saulis. Terminato prælio Deus Samuelem Prophetam accerſit, & ira accenſus eidem inſinuat pœnitere ſe quod coronam regni & ſceptrum imperii Saulis manibus commiſerit: *Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem.* Miratus ſum & ego, inquit Samuel, quod is à te in Regem conſtitutus ſit, utpotè quem dudum imperio ineptum cognoſcebam. Verùm enimverò quemnam defectum Saulem commiſiſſe exiſtimatis, ô Auditores, quod à regno exauthorari debuerit? variæ quidem è ſacro textu adduci poſſent rationes, præcipuè verò quod contra voluntatem Dei: *Pepercit optimis gregibus ovium & armentorum, & veſtibus, & parietibus & univerſis, quæ pulchra erant; quidquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti ſunt,* cum tamen Deus ei contrarium facere præceperit dicens *Demolire univerſa ejus, non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Pater Paes autem obſervat, quod finito prælio & civitate deſtructa Rex Saul in Carmelum ſe receperit, ibique arcum quendam triumphalem ædificari fecerit ad immortalitatem nominis ſui & ad æternam robuſtæ dexteræ ſuæ gloriam: *Mane nuntiatum eſt Samueli, eo quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem.* Ecce tibi igitur veram depoſitionis à regno originem: adeò enim temerarius fuit, quod ſibi ipſi non verò ad honorem Dei arcum illum triumphalem erexerit, ſuæque dexteræ fortitudini, non verò auxilio cœleſti attribuerit victoriam: Scito igitur Samuel (inquit Deus) quod hæc ejus arrogantia adeò mihi diſpliceat, quod regni jactura eum caſtigare decreverim: *Reportatam à ſe victoriam de Amalec ſibi, non Deo adſcribebat & deſcribebat: hæc cauſa fuit ut à Deo abjiceretur.*

1. Reg. 15.

Ibidem.

Ibidem.

Pares in Epiſt. D. Iacob. c. 4. §. 1.

10. Certus quidam Scriba ex Synagoga Hebræorum Filium Dei accedit, ſeque promptiſſimum ei offert ad ſerviendum ei in omnibus caſibus occurrentibus, eumque in omnibus locis, ad quæ ſe recepturus eſſet, conſectandum: *Et accedens unus Scriba ait illi: Magiſter ſequar te quocunque ieris.* Chriſtus autem hanc ultro factam oblationem gratam non habuit, quin potius eandem renuit dicendo: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Hic ut verum fatear attonitus hæreo; Chriſtus etenim procurat ſibi diſcipulos, qui eum ſequantur, nunc autem hic ſponte ſe offert, nec eum vult. Magiſque hæc difficultas augetur, quia paulò antè quidam diſcipulorum ſuorum licentiam ab eo petiit diſcedendi cum expreſſa declaratione non redeundi, cui tamen diſcedendi licentiam dare noluit: *Domine permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum;* Chriſtus autem eum abire prohibuit dicens: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Nolo hic adducere opiniones Patrum, nimirum Cyrilli, Thomæ, Ambroſii, Theophylacti, Joannis Geometræ, Chryſoſtomi, Hilarii, Hieronymi, Baſilii, Seleuci, & aliorum: Cur ſcilicet eum diſcedere noluerit: ſed ſolum inveſtigare vellem; cur hunc ſcribam ad ſuam ſequelam admittere detrectaverit; forte id fecit, quia eum non ſatis probum eſſe cognoſcebat? Verum nec Judas ſanctus erat, & Matthæus, Magdalena, Zachæus, & latro in perfectionis culmine non erant poſiti. Non erat hæc cauſa: ſed quia ſcriba hic nimis in loquendo arrogans fuit: *Sequar te quocunque ieris*: hic enim loquendi modus tranſgreditur modeſtiæ terminos, atque ad temeritatis limites propè accedit. Quaſi diceret Chriſtus: Nimis es præſumptuoſus & arrogans, apage ſis hinc, non es bonus nec aptus meæ diſciplinæ, nec ſervis mihi: *Videt Dominus animum ejus temeraria præſumptione ſibi confidere & credere, ait enim: ſequar te quocunque ieris; tam audax præſumptio Domino diſplicuit,* aſſerit quidam Modernus: *Dixiſſet cautius* (ait Chryſologus) *ſequar te quocunque juſſeris, humanius verò certè, quocunque volueris.* Videte igitur quantum nobis defectus iſte præjudicet: *Horruit præſumentem, ſed accepit à Chriſto tam dignum pro tanta præſumptione reſponſum.*

11. Factus erat Salvator mundi ludibrium, & flagellorum ſcopus, in quem Phariſaica collimabat iniquitas, membra ejus ex enormitate vulnerum, quæ in flagellatione ad columnam acceperat, lacerata erant, effundebatur ſanguis ab

omni-

omnibus delicatiſſimæ humanitatis ſuæ participibus, purpura veſtitus erat, portabat in manibus arundinem in ſignum ſtultitiæ, in capite verò coronam ſpinis acutiſſimis obſitam, quando Pilatus de patria eum interrogans dixit ei: *Vnde es tu?* qui ne verbum ei reſpondit: *Ieſus autem reſponſum non dedit ei.* Unde Pilatus admiratus non ſine aliqua iracundiæ ſcintilla ei ſubjunxit: *Nihil reſpondes mihi?* an non cognoſcis me, non ſcis, qualis ſit mea in te authoritas, liberare te poſſum ſi mihi ita placet, condemnare te, ſi volo, valeo. *Mihi non loqueris, neſcis quia poteſtatem habeo dimittere te.* Tunc Dominus non ſolum reſpondit, ſed ejus loquendi modum inſuper reprehendit dicendo: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Obſtupeſco hoc reſponſum, audit etenim falſa teſtimonia, quæ illum accuſant, malas linguas, quæ eum contemnunt, quod ejus innocentiam Barrabæ ſceleribus poſtponant, quod tanquam malefactorem eum reprehendant, audit quod ſe tanquam reum condemnant & tanquam ſceleratum reputent, & tanquam caput latronum inter latrones crucifigere velint, & tamen non lego, quod ad ullas quomodi falſas imputationes aliquo modo commotus fuerit vel ſuam defendendo innocentiam, vel eorum reprehendendo malitiam. Reſpondere quidem poſſet cum ſancto Ambroſio: Pilatum fuiſſe arbitrio, non verò æquitate: Ambroſ. *Inflate voce conſtringeris, tua damnaris ſententia; tua poteſtate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidiſti. Per poteſtatem abſolvi latronem, authorem verò vitæ interfeciſti.* O quot miniſtri juſtitiæ idipſum à Pilato didicerunt, dum quod volunt faciunt, non verò quod decent, abſolvendo reum, juſtum verò condemnando: *Mala poteſtas licere quod dedeceat.* At verò ſanctus Joannes Chryſoſtomus dicit Chriſtum tolerare non potuiſſe, quod Pilatus tanta cum temeritate & præſumptione loqueretur dicendo: *Poteſtatem habeo crucifigere, & dimittere te;* quaſi diceret: Sub mea es juriſdictione, poſſum facere quod libet, nimirum condemnare te licet juſtum, & liberare quantumvis reum: ad tantam autem arrogantiam Chriſtus continere ſe non potuit, quin contradiceret, dicendo: Chryſ. *Non haberes in me poteſtatem, &c. Ut tumorem ejus deprimeret,* Scribit ſanctus Chryſoſtomus: cui opinioni ſanctus quoque Cyrillus Alexandrinus ſubſcribit, dicens: *Quoniam verò principatus ſui Pilatus poteſtatem oſtendebat, at in ſe ſolo & punire & abſolvere ſitum eſſe jactabat: commodiſſimè huic elationi vires & poteſtatem ſuam opponit, faſtumque Pilati, vel adverſus Dei gloriam tumentem deprimit, & futuris fidelibus conſulit.*

12. O quot hodie ipſomet Icaro temerariores futuri eſſent, ſi alas haberent! O quot ipſo Phaetonte præſumptuoſiores fierent, ſi Deus ipſorum arbitrio ſemper condeſcenderet! Vellent quidem ſibi Deum talem, qui ipſorum nutibus obediens eſſet, & ad prolationem unius *Fac* protinus exequeretur quicquid deſiderarent. Ex quo fideles exiſtunt & vocantur Chriſtiani, præſumunt Deum obligatum eſſe & teneri ut nec plus nec minus faciat eo, quod illis in mentem venit. Quod ad unicum ſuſpirium, ad unicam genu flexionem, ad unicam precem ſicut nos in petendo faciles ſumus, ita quoque ipſe ad miracula patranda promptum ſe exhiberet: quod anni tempora venire faceret ad libitum noſtrum, juxtaque noſtrum arbitrium tranſiret calor, rediret frigus, grandines ceſſarent, caderent nives, florerent arbores, terra fructificaret, multiplicaretur meſſis, nebulæ diſſiparentur, ſerenaretur aer, frænarentur venti, fugarentur infirmitates, mors procul arceretur, haberemus fortunam in manibus per capillos ſuſpenſam, ut nec altius, nec humilius facere poſſet, eo quod deſideramus: quodque cælum ad pronuntiationem unius *Fac* gremium noſtrum gratiis cumularet. Et quis ſumus nos, qui Deum ad modum noſtrum accomodare poſſumus? Quænam habemus merita, quæ eum ad miracula patranda neceſſitent? O præſumptionem temerariam! O temeritatem præſumptuoſam tam horum Phariſæorum, quam noſtram! noſtræ igitur arrogantiæ Icari & Phaetontis exitus meritò correſpondet. Porrò ſunt qui ob aliquam, quam erogant, eleemoſynam, vel propter coronam quam dicunt, vel ob aliud opus bonum, quod quotidie faciunt, in talem auſum animi eriguntur, ut ſe ab inferno ſecuros eſſe præſumant; vel quod cælum nihil ipſis negare poſſit, quin evidentem eis faciat injuriam: *Sic exiſtimant Chriſtiani, quia ſub* Jeſu Chriſti *Evangelico vivunt, ſuum jam eſſe cælum.* O maledictum *Fac*! ô deteſtabilis arrogantia! ô diabolica præſumptio!

13. At verò de hoc puncto dictum eſt ſufficienter: tranſeamus ad alteram partem. Volebant cives Nazaretani ut in ſua quoque patria miracula faceret, ipſe autem ab eis recedit, eaque facit in Capharnaum, *quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* At verò cancros in ſicco piſcabantur, inquit Pater Silveira Carmelita, quia Dominus gratias, & benefi- *Io. Silvei.*

*I.l. in ab.conc. fer. 2. Domin.*

beneficia præſtando, nec ad patriam, nec ad parentelam, nec ad ſanguinem reſpicit: *Non rapitur ab affectu patriotæ, vel parentelæ, ſed in Capharnaum operatur miracula*, nimirum civitate à Nazareth patria ſua procul remota, in qua nec affinitatem, nec aliam parentelæ propinquitatem habebat.

*Ioan. 1.*

Sacer Evangeliſta Joannes de incarnatione verbi loquens dicit: *Verbum caro factum eſt*. Verum dicite ſodes, ô Auditores, quænam ex duabus illis partibus ad conſtitutionem concurrentibus dignior eſt, carone an anima? ſine ullo dubio dicetis animam utpote incorruptibilem & immortalem ſine comparatione digniorem eſſe; ſubinfero. Ergo etiam myſterium hoc incarnationis ſuam ab anima denominationem accipere debebat, utpotè à nobiliori,

*Iaſ. in l. 1. in prin. in col ff. de verbl. obl.*

cùm certiſſimum ſit quod *denominatio debet fieri à nobiliori*. Præterea quis eſt, qui neſciat, quod cùm ad carnem ſpectarit huic operi hanc denominationem dare, ipſa quoque caro magnopere honorata ſit & exaltata? At verò quis item pariter non ſcit, quod cum anima excellentior ſit carne, illi hæc debeatur præeminentia? Lex etenim clara eſt, quæ dicit:

*Text. cum gl. in §. fin. Inſt. de Iure nat. Gen. & ci.*

*Digniora ſunt præferenda*. Quomodo igitur in hoc myſterio caro animæ præfertur? cùm tamen verbum tam unam quàm alteram aſſumpſerit, ut Sacri nos docent Theologi: Imò *venit principalius ad ſanandam animam, quàm corpus vel carnem*, inquit Ægidius Columna. Ob has igitur & multas alias rationes hæc denominatio quæ tantam ſecum honorificentiam adducit, animæ potius quàm carni deberi videtur.

*Hebr. 2.*

14. Aliam quandam difficultatem S. Paulus movet, dum ad Hebræos circa hoc myſterium literam quandam ſcribit, dicens: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, id eſt, exponit

*Ambroſ. bi fol. 365.*

ſanctus Ambroſius: *Non Angelis illa dignitas donata eſt, ut una perſona, Dei Filius, eorum naturæ conjungeretur, ſed honorem, & hanc dignitatem humanæ naturæ Deus Dei Filius contribuit, ut Deus & homo una eſſet perſona*. At verò quid ſi Deus aſſumpſiſſet naturam angelicam, nunquid incarnatio nobilior futura fuiſſet, *ſaltem extenſive, & ex parte naturæ aſſumptæ* quantum ſcilicet Angelus homine dignior eſt? Præterea ſi per hoc opus incarnationis homo Deo reconciliandus erat, & in perpetua quadam charitate uniendus, videtur convenientius fuiſſe, ſi id mediante

*Dionyſ. de cæleſti Hierarch.*

Angelo factum fuiſſet, *qui eſt medius inter Deum & hominem*, maximè cùm ſanctus Dionyſius nos doceat: Quod *lex divinitatis eſt infirma per media reducere*. Addo inſuper cum Ægidio Columna & aliis, quod *nobilior natura eſt capax majoris doni*, quodnam autem majus incarnatione doni inveniri poterit? Ergo Angelus tanquam nobilior hoc donum vel dignitatem aſſumptionis ad unitatem hypoſtaticam recipere debebat, cur igitur *nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*? Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex non minus juſtus, quam in actionibus ſuis, præcipuè verò in gratiarum ſuarum diſtributione prudens providit (quantum ad ſe pertinebat) cuidam viro apto & qualificato de quodam Epiſcopatu, ſuoque Secretario impoſuit, ut literas promotoriales regias per primum curſorem vel veredarium, qui proximè abiturus eſſet, ad eum mitteret. Cui is reſpondit: Non videtur id, ô ſacra Majeſtas, neceſſarium eſſe, ut ſcilicet expeditiones regiæ per veredarium vel curſorem tranſmittantur, quia vir ille in aula habitat, & in palatio, non abeſt procul hinc, ſed vicinus adeſt. Itane? inquit Rex, ſine videam literas expeditionis, eaſque de manu Secretarii tollens laceravit, quaſi diceret: Dignitatem illam Epiſcopalem nolo conferre alicui qui ſit Regiæ meæ Palatinus. Inquiratur num ſit alius quiſpiam extraneus, qui procul ab hinc moratur, eique Epiſcopatus illi attribuatur: *Ipſe tunc Rex chartam in qua illius electio continebatur propria manu abſcidiſſe dicitur, cum hoc dicterio; Nunquam meæ mentis fuit eum in Præſulem deſignare qui curiæ adſit*. Ex qua Hiſtoria cauſam intelligere poſſumus juxta Theophylacti doctrinam, cur Verbum æternum carni, non verò animæ hanc attribuere voluerit Incarnationis honorificentiam, ut ab eo nomen ſuum ſortiretur: *Et Verbum caro factum eſt*. Anima etenim aliquam cum Deo propinquitatem habet in ſpiritualitate, ſed caro ab eodem quam remotiſſima eſſe noſcitur: *Anima enim cognationem aliquam cum Deo habet, caro autem nullo modo communicat*, inquit Theophylactus. Et ob eandem rationem: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*: Angelus Deo vicinior exiſtit, homo autem, ſemen Adæ, remotior ab eo: ille, quia eſt ſpiritualis, hic verò corporeus; Dignitas igitur iſta Naturæ concedatur humanæ, utpotè magis remotæ, non verò Angelicæ, utpotè quæ magis eſt vicina: *Dei Verbum non Naturam Angelicam, ſed tantum humanam hypoſtatico nexu aſſumpſit, & ad unam cum Deo perſonam ſublimavit: non malè electa fuiſſet digni propinquior Natura Angelica ad tantam dignitatem, ſed longius à ſe remotam Naturam humanam conſultius elegit*. Angelus & anima ſunt de

domo

domo Dei, id eſt conveniunt quodammodo in eſſe ſpirituali, licet ſpiritualitas Dei longè excedat ſpiritualitatem Angeli; caro autem & ſemen Abrahæ, utpote res materiales extranea ſunt à domo Dei, id eſt, ab eſſe Divino; Ac proinde *Verbum caro factum eſt, & ſemen Abrahæ apprehendit.*

15. Hanc autem fuiſſe rationem propter quã Chriſtus nulla in patria ſua fecerit miracula, ſed in Capharnaum, colligitur ex doctrina S. Vincentii Ferrerii, & ex duabus hiſtoriis ſacris, quas Salvator noſter in hodierno Evangelio adducit: Prima eſt Eliæ, qui ex Iſraële ſive à Judæa patria ſua à Deo in Sarephtam miſſus fuit, ad multiplicandum panem vel farinam & oleum, & ad vitam filio viduæ illius reſtituendam: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad viduam.* Secunda Hiſtoria eſt Eliſæi, quando e multis leproſis qui erant in Iſrael, virtute Prophetæ ſolum ſanatus eſt Naaman Syrus: *Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.* Quærit igitur nunc Sanctus Vincentius Ferrerius, cur Deus Eliæ non præceperit, ut farinam & oleum multiplicet alicui ex tot viduis, quæ erant in Iſrael, ſed tantum mulieri viduæ Sarephtanæ? Similiter cur ex tot leproſis Iſraëlitis, ſolus Naaman Syrus hanc à Propheta obtinuerit gratiam, ut à lepra curaretur? Et reſpondet utrique difficultati unica reſponſione, quia ſcilicet ambo ab ambobus prophetis gratia donati, extranei erant: *Miſit eum ad viduam extraneam: Eliſæus ſanavit Naaman extraneum:* Ita igitur Chriſtus etiam miracula in domo ſua Nazarethana facere detrectat, ſed illa differt patranda in civitate Capharnaum, quia favores potius diffundendi ſunt in favorem & beneficium extraneorum, quàm ſuorum, abſque ullo reſpectu ad propinquitatem affinitatis, vel alterius parentelæ, proximæ, ſive remotæ.

16. Poſtquam Judas apoſtataſſet, debebat ab Apoſtolis de alio quodam diſcipulo ſubſtituendo fieri proviſio, ne ſacrum Collegium imperfectum maneret. Elegerunt igitur duos ex menbribus qui Jeroſolymis erant, id eſt, Barſabam: *Et ſtatuerunt duos Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Matthiam,* quibuſcum in cœnaculum quoddam ſe ſubduxerunt, communeſque ad Deum orationes effuderunt, ut eis inſpiraret, uter è duobus aptior eſſet, magiſque idoneus, ut in locum apoſtatatis Judæ vacantem ſubingrederetur: Et orantes dixerunt: *Tu Domine qui noſti corda hominum, oſtende quem elegeris ex his duobus unum &c.* Et dicit ſacer Textus, quod tentatis ſortibus ſors tandem ceciderit ſuper Matthiam, *Cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Porrò Scriptores ſacri rationem inquirunt, cur ſors cœlitus ſuper unum ceciderit, & non ſuper alterum? Scio equidem, quod in electionibus ſemper ille eligatur, *in quo reperitur major ratio boni,* ſive illud verum ſit, ſive apparens, quænam autem reperiri poterat major bonitas in Matthia, quæ etiam in Barſaba non reperitur cùm is per antonomaſiam dictus fuerit juſtus: *Barſabas qui cognominatus eſt juſtus.* Etenim difficultatem hanc reſolvere nequeo, niſi aliam quandam prius propoſuero.

17. Videns æterni Patris Filius Collegium Apoſtolicum monſtroſum futurum, niſi eidem de capite quodam providè proſpectum eſſet, convocatis ad ſe cunctis diſcipulis, ſingulorumque qualitatibus benè trutinatis, Sanctum Petrum eligere ex omnibus voluit, cui omnes alios debita cum reverentia & ſubmiſſione parituros ſubjecit: quem proinde ad ſe accerſitum coram omnibus declarat gregis ſui Paſtorem, Prælatum ſanctæ Eccleſiæ, mundi Principem, denique cæli terræque Dominum: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni cœlorum.* Matth. 16. Circa hanc electionem duæ mihi in mentem incidunt difficultates; Prima eſt, cur electus fuerit Petrus, & non Jacobus & Joannes, vel alius quiſpiam? fortè quia ſicut ætate ſenior erat, ita quoque exiſtimatus fuit aptior; *Lex.* aut quia juxta legem: *Eligendus eſt potiùs qui peccavit & pœnituit, quàm qui nunquam peccavit, quia magis ſcit compati peccatoribus?* Secunda eſt: cur in ejus electione mentio fiat Barjonæ patris ſui. Cui etiam per legem reſponderi *Lex.* poſſet, qua dicitur: *Præſumitur quis bonus vel malus, ratione patris;* nominavit igitur Bar-jonam, demonſtrando quod ſicut ille erat vir ſincerus, bonus & probus, ita quoque futurus, aut reapſe ſit Sanctus Petrus filius ejus; Porrò ad regimen boni eligendi ſunt, non verò mali. Unde Legati illi volentes Alexandri bonitatem deprædicare, eum Patri ſuo ſimilem eſſe dixerunt: *Tu Philippi es filius.* Veruntamen nulla allatarum reſponſionum omnimodam mihi *Curtius lib. 11.*

ſatisfactionem præſtat. Videamus igitur, an ex veteris Teſtamenti ſacris Hiſtoriis harum difficultatum aliquam elicere poſſimus notitiam, quæ ad earum notitiam aliquam nobis ſubminiſtrare poſſit intelligentiam. Porrò de Moyſe legitur, quod cum ultimis vitæ ſuæ diebus proximus eſſet, jamque eſſet in ætate centum viginti annorum conſtitutus, cunctum populum ſuum congregavit, jamque Spiritum & vires ſibi paulatim deficere animadvertens, eis prædixit, quod quantocyus ad alteram vitam eſſet tranſiturus, ac proinde nollem ſibi dubium eſſe, quin Deus peculiarem illorum habiturus eſſet rationem, eoſque paternè protecturus; interea verò operæ pretium eſſe, ut in ſuum locũ de novo illis capite benè provideque proſpiceretur, ac proinde ad hoc munus Joſue illis elegit: *Ioſue iſte tranſibit ante te*, hunc Superiorem veſtrum recognoſcetis & Ducem, ejus præcepta cum eadem prorſus ſollicitudine & fidelitate adimplebitis, ſicut hactenus meis paruiſtis. Tu autem ô Joſue oculo benignitatis hoſce filios meos reſpice, quos hactenus ſicut filios meos obſervavi & dilexi. Onus, quod hodie manibus tuis conſigno, valdè eſt arduum, veruntamen noli metuere, quia Deus conatus tuos ſecundabit. Verùm enimverò valdè ego te miror ô Moyſes. Hanc dignitatem potiùs uni ex filiis tuis, Getſæ nimirum vel Eliezer, vel cuivis alteri de tribu tuo conferre debebas, non verò Joſue, quo cùm nullam habes neque conſanguinitatis, neq; tribus conjunctionem. Et tamen verum eſt, quod Patres ſemper filios ſuos promovere ſatagant, dignitates eis renuntiando aut procurando; idem quoque obſequium fratres fratribus, & cognati cognatis exhibere ſolent; & tu ô Moyſes regimen populi tui in talem transfers, qui te nequaquam conjunctione aliqua contingit, imò qui eſt ex aliena prorſus tribu prognatus. Etenim neminem eſſe exiſtimo, qui punctum difficultatis, ipſamq; Moyſis intentionem ita perfectè tetigerit, & aſſecutus ſit, ſicut S. Hieronymus: *Moyſes amicus Dei potuit utique ſucceſſores principatus ſuos filios facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem: ſed extraneus de alia Tribu eligitur.* Sed quo fine? *Ut ſciremus principatum in populos, non ſanguini deferendum eſſe ſed vitæ.* Ad neminem igitur proprii ſanguinis reſpexit, nec ullum è domo vel tribu ſua principem inſtituit: *Sed ignotum domeſticis antepoſuit*, ſubjungit quidam Modernus, ô integerrimum Moyſe, ô exemplum memorabile iis omnibus,

D. Hier. in c. 1. Epiſt. ad Titum.

Paul. ... logus

quid ad aliorum admoti ſunt regimen. Ecce etenim tibi hic declaratum dubium, cur Chriſtus in Principem Apoſtolorum Petrum elegerit, non verò Jacobum & Joannem, hi enim cognati ejus propinquiſſimi erant, non item ille, atque ut idipſum omnibus tantò evidentius innoteſceret, Patris ſui expreſſam mentionem fecit: *Beatus es Simon Bar-Iona*, quaſi inferre vellet: Simon ille, quem vobis hodie in Superiorem veſtrum eligo, eſt filius Bar Jona, quocum nullum mihi intercedit parentelæ vel ſanguinis vinculum. *Priuſquam Dominus ſummam Chriſtiani Imperii porrò promittat* (inquit Hugo) *oſtendit quiſnam ſit ejus Pater, Bar Ionæ, id eſt filius Ionæ. Quaſi dicat, omnibus notum ſit, Petrum non eſſe mihi genere conjunctum, neq; mei ſanguinis vinculo tractum ad ſummam dignitatem. Et ob hoc cùm inter Apoſtolos multi eſſent ex genere Chriſti, nullum tamen ad ſummum apicem hujus dignitatis evexit.* Etenim Barſabas cum Matthia ad Apoſtolatum expoſitus cognatus Chriſti erat, atque ideò non ille, ſed Matthias electus fuit, qui nullam cum Chriſto habebat affinitatis dependentiam. Eſtque hæc opinio Dionyſii Carth: *Ioſeph*, inquit, *id eſt, Barſabas fuit frater Iacobi Minoris & conſanguineus Chriſti, ſicq; per hoc, quod Chriſtus Ioſepho Matthiam in Apoſtolatum præpoſuit, docuit, quod ex conſanguinitate, aut carnali affectu non ſunt homines ad Eccleſiaſt. beneficia aut officia promovendi.* Hanc & Politicam Chriſtus circa ſuos cognatos obſervaſſe videtur quando rogatus ut in Nazareth miracula faceret, id renuens, reſpondit: *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.*

18. O quot ſunt eorum, qui ad regiminis clavum reſidentes vento prorſus contrario navigant. Superioribus ſæculis cõſuetudo erat, quod ad hoc ut aliquis altius evheeretur, & dignitatem quamcunque obtineret, hoc unicum ſuffecerit, quod cognatus eſſet illius, ad quem ſpectabat illam conferre vel diſpenſare. Sanctus Petrus Chryſologus obſervat, quod quando Chriſtus in domum Simonis ſe contulit: *Non erat vernula, vel miniſter, non familiaris, vel propinquus*, ſed ſolum una paupercula vetula mulier ſua infirmitate eum ad pietatem permovit, quæ confeſtim ut ſanata fuit: non cogitavit de commodis propriis, ſed de Dei ſervitio tiſe obeundo ſollicita fuit: *Miniſtrabat ei.* Et Sanctus Baſilius de gubernantibus ſui temporis Principibus graviter lamentabatur dicens: *Non eligunt* (dicebat) *qui eſt dignus, ſed domeſticum & familia-*

familiarem. *Neque qui ſalutaris eſſe poſſet Reipublica, ſed in ſua gente aut familia, aut facultate prępolleret.* Verumtamen ſpeciales Deo gratias agebat, quod ejuſmodi abuſus inter Eccleſiaſticos juſtitiam & honorem Dei ob oculos habentes, ſuo tempore non conſueverint accidere. *Id quod abſit, ut contingat in creatione ac delectu præſulum Eccleſiæ.* Nolo hoc loco prætetire quendam Scripturæ locum, & per eum huic primæ diſcurſus parti felicem finem imponere, Incarnata æterni Patris ſapientia de Regno cœlorum ſermonem inſtituens, ſub variis illud Metaphoris propoſuit, nimirum ſinapis, fermenti, &c. dumque hac de re prolixius loqueretur, ecce certus quidam curioſulus ſupervenit, interrogans eum, an multi, an verò pauci ſalvandi eſſent, *Domine ſi pauci ſunt, qui ſalvantur?* cui Dominus reſpondit, quod fortè ipſe & alii ſui ſimiles de numero illorum futuri ſint, qui contendent quidem per anguſtam portam intromitti, & tamen foris ſubſiſtere cogentur; Et licet dicturi ſint: *Domine aperi nobis*: tamen hoc reportaturi ſint reſponſum: *Neſcio vos unde ſitis*, ac proinde condemnandi erunt in Infernum. Verù dicet aliquis, quidnam Judicis alicujus intereſt, ſive patriam è qua natus eſt reus? potiùs ab eo quærendum, an & ubi ejus commiſſum ſit delictum, non verò *unde ſit*. Quis enim Judex adeò ſtultus erit, ut potius ſollicitus inquirere de nobilitate patriæ, quàm quod curet rectitudinem Juſtitiæ. Theophylactus obſervandum eſſe dicit, Chriſtum eo loco cum Hebræis locutum eſſe: *Ex quibus natus eſt ſecundum carnem*, quaſi diceret, tametſi vos mecum ejuſdem ſtirpis conſortes, egoque veſtro ſim ſanguine & in patria veſtra natus, nihilominus in diſpenſatione & collatione gratiarum, vel decernendis pœnis, in eo quod eſt aperire vobis cœlum, vel accelerare vobis Infernum. *Neſcio vos unde ſitis.* Neque enim hoc attendo quod patriotæ, vel cognati vel contribules mei ſitis; Id quod egregii nobis documenti loco deſervit, inquit quidam Modernus, dum ait: *Vt dum quis tractat alicujus negotium, ſic illud tractet, ac ſi neſciret unde ille ſit, an compatriota, an alenigena, an affinis ſecundùm carnem, an conjunctus familiaritate, an ſecus.* Et eâdem politica ſe quoq; moderabatur in patrandis in Nazareth & Capharnaum miraculis. Ad confuſionem illorum, qui nec oculos, nec linguam, nec pedes aut manus habent, prætterquam ad ſuis benefaciendum. Utinam hoc manè hoc ſolùm à Chriſto Domino diſceretis, gratias alienis facilè præſtandas eſſe præ cæteris. Quidnam autem à vobis qui divites eſtis, remotius eſſe poteſt, quam paupertas? hæc autem in pauperibus reſidet, ad illos igitur manus veſtras extendite, Eleëmoſynarum veſtrarum favores eiſdem liberaliter elargiendo.

## PARS SECUNDA.

19 F*Ac & hic in patria tua.* Proverbium eſt diuturna experientia comprobratum, quod ſcilicet quilibet molendino ſuo aquarum abundantiam procurare ſatagat; Omnes bona ſectamur, eaque in domum noſtram divertere deſideramus: Nullus eſt qui non deſideret gratiarum ſuarum gremium in familiam ſuam excutere; ſuorumque favorum cornucopiæ in ſuos cognatos evacuare. Scimus de Sancto Joanne Baptiſta famam ejus adeò per univerſam civitatem Hieroſolymitanam divulgatam fuiſſe, ut ob hanc, in magna apud quoſvis Primates eſſet veneratione, adeò ut quilibet ei reverentiam exhibere, ſuamque erga illum obſequioſam debitam voluntatem conteſtari ambirent. Tandem certos quoſdam Legatos ad eum amandare decreverunt, qui bonam totius populi erga ipſum inclinationem indicarent, eique pariter Meſſiæ dignitatem ultrò citroque offerrent, utpote quem tanquam talem publica Præconis voce proclamre paratiſſimi eſſent, dummodo eandem dignitatem dignaretur recipere: *Cùm ferventius Chriſti expectaretur adventus, Iudæi tranſmittunt ad Ioannem, conjicere volentes, ſi ipſe ſe Chriſtum fateretur,* inquit Origenes, miror profectò vehementer Jeroſolymitanos, quod cùm eſſent viri doctiſſimi, & in Scriptura ſacra admodum verſati, & expediti, nihilominus hanc malè conſiliatam ad Joannem Legationem inſtituerint, utpote quæ ex multis capitibus non poterat ſubſiſtere. Imprimis enim Joannes erat de tribu Levi, quomodo igitur potuerunt exiſtimare illum eſſe Meſſiã, ſi hic ex tribu Juda naſciturus expectabatur: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principib. Iuda, ex te enim exiet Deus* Joan. natus fuit in montanis Judææ: De Chriſto autem ſive Meſſia, illum in Bethlehem naſciturum eſſe, prædictũ fuit. His addo quod Meſſias plurima dicebatur operaturus ſigna miraculoſa: De Joanne autem dicitur: *Nullum ſignum fecit.* Et tametſi nulla ex addductis rationibus judicaretur ſufficientem in ſe continere ener-

Theophyl.

*Origen. ibi in Cat. D. Th. ho. 245. co. 2. l. C.*

*Michæas.*

*Ioan.*

energiam, aut efficaciam, ad infirmandam propoſitionem horum Legatorum , hoc ſaltem à Judæis, Sacerdotibus, & Levitis ſcire percuperem, quiſnam illis authoritatem dederit, Meſſiam ſibi eligendi juxta caputium & phantaſiam ſuam? De Romanis quidem legitur eos hanc ſibi licentiam vendicaſſe, ut Deos ſibi eligerent, ſed tunc, quando verum non agnoſcebant Deum: ſimile autem quid de Hebræis nunquã intellexi. Illi eligere ſibi ſolebãt Deos, qui ſuis erãt inclinationibus favorabiles; ac proinde bellatores Martem eligebant, Literati Palladem, Mercatores Saturnum , ſic de aliis: at verò Judæi inter ſe non permittebant, ut aliquis ſibi Deum juxta genium ſuum eligeret. E- tamen volebant Joannem eſſe Meſſiam: Quod ſi exigua literatura præditi & idiotæ fuiſſent, libenter iiſdem compaterer: at verò Hugo opinatur hanc Legationem fuiſſe concluſam *à ſapientibus Iudæorum poſt longam conſulationem.* Quomodo igitur eſſe potuerunt adeò ſui ipſius obliti , ut tam notabilem ipſi errorem committerent. Videamus nonnihil cujus conditionis fuerint h ad Joannem tranſmiſſi Legati: Erant Sacerdotes & Levitæ. *Qui miſſi ſunt erant Sacerdotes & Levitæ, perſonæ Eccleſiaſticæ & Religioſæ De tribu Levi,* inquit Cardinalis Toletus. Verùm quidnam quam maximè movit illos, ut hanc Meſſiæ dignitatem Joanni offerrent, jam jam idipſum ex alio quodam Scriprutæ loco adducendo intelligetis.

Hugo Card.

Tolet. ibi in com. f. 111.

20. Moyſes in ſua Chronologia omnia creationis opera, præcipuè vero Solis & Lunæ prolixè nobis refert, & dicit: *Fecit Deus duo luminaria magna.* Porrò quod Sol Luminare majus nominetur id quidem tranſeat, quia nonnulli volunt, quod centum ſexaginta ſex vicibus major ſit quàm terra ; Imò quævis ſtella terrâ major eſt, idque juxta aliquos quinquaginta vicibus, ſecundùm alios 70. ſecundùm alios 90. juxta alios denique centum vicibus , & nulla eſt inter omnes, quæ illam non ſuperet ad minus octodecim vicibus. Addunt Aſtrologi quod ſtellæ primæ magnitudinis , quarum 15. ſunt, terram excedant centum ſeptem vicibus : aliæ verò ſecundæ magnitudinis, quarum ſunt 45. ſint nonaginta vicibus majores terra. Nunc igitur hunc in modum diſcurramus. Luna æquivalet tertiæ parti terræ ; ſtellæ autem ſunt majores terra, uti dictum eſt. Igitur poſt Solem non debetur præeminentia magnitudini Lunæ, ſed ſtellis prædictis. Cur igitur Moyſes Lunam hoc afficit honore, ut illam vocet *Luminare majus?* Audite quid ſuper hac re modernus quidam ſpeculetur. Inter omnes ſtellas vel Planetas cæleſtes nulla eſt, quæ adeò vicina ſit nobis quam Luna; Imò ſtellæ nobis adeò parvæ eſſe videntur, quia adeò ſunt incredibiliter à terra remotæ. Moyſes igitur ratione hujus viciniæ Lunam honorare , eique non verò ſtellis hunc titulum & præeminentiam magnitudinis dare voluit ( quantumvis titulus hic illis jure meritiſſimo debeatur ) quia ſtellæ ſunt remotiſſimæ à nobis: *Luna prope minimum cæleſtium ſiderum aſtrum eſt, & quia propinquiſſimum terris eſt, & humanis rebus ſeſe propius lucem levi influxu & aſpectu offert, ideò apud homines nacta eſt magni luminaris elogium.* Nunc ad Joannem revertamur. Porrò Sacerdotes & Levitæ Joannem titulo & dignitate Meſſiæ honorare decreverant, eò quod illorum propinquus erat, ſi non ſitu, aut parentela, ſaltem ad minus officio, dignitate, & tribu levitica. Quid autem hiſce noſtris temporibus fieri ſolet? Damus quoque hanc vel illam dignitatem alicui, aut illum ad hoſce vel illos honores evehimus, ſive illos mereatur, ſive non mereatur hanc dignitatem , id non reſpicimus , utpote quibus ſufficit quod talis ex noſtra ſit tribu: *Quid cauſa fuit ut Sacerdotes & Scribæ qui legationem miſerunt, tam manifeſtè cœcutirent , ut hominem nullis miraculis clarum ex tribu levi progenitum eligant in Chriſtum, & Meſſiæ thronum Ioanni tribuant?* Ecce tibi punctum hujus noſtri diſcurſus: *Conſilium hoc initium habuit à Sacerdotibus: Sacerdotes autem utpote ex tribu levi, ſolerter agebant , ut cognatus eorum Ioannes eveheretur ad Meſſiæ dignitatem.* Hanc Politicam Hebræi ad ipſa uſque Chriſti tempora conſervarunt, ſiquidem & cives Nazarethani volebant Chriſtum, tanquam ejuſdem loci compatriotam , apud ipſos, non verò apud alios gratias faceres & miracula patrare: *Fac & hic in patria tua.*

Geneſ. 1.

Cec. Adr in annot.

21. Scio ſatis probè, nec à Lege, nec à DEO prohibitum eſſe omnibus benefacere : at verò inſuper etiam non ignoro, quod omne nimium, ut communi proverbio dicitur, faciat rumpi ſaccum, quodque habendus ſemper ſit reſpectus ad merita & idoneitatem, ut docet Sanctus Thomas. Idipſum firmiter obſervabat Antigonus , unde certo cuidam aliquid ob merita Patris prætendenti , reſpondit: *Ego adoleſcens non ob Patris virtutes mercedem & munera dare ſoleo.* O quot ſunt hodie filii & nepotes, qui

dum

dum aliquod ſibi charitatis obſequium procurare conantur, Patris vel etiam Patrui ſui merita in medium adferunt, eo quod propria quæ proponant, non habent! Cùm à Pyrrho Epirotarum Rege filii ſui interrogando peterent, uter illorum regni ſucceſſor futurus eſſet? Reſpondit illis: Eum ſucceſſorem ſuum futurum, cujus gladius maximè fuerit exacutus: & tamen filii ejus erant. Per hoc inſinuans, quod regni ſucceſſionem determinaturus non eſſet ratione filiationis, ſed conſiderando futuri ſucceſſoris merita. Æterna quoque memoria digna eſt illa Archelai Regis actio; Qui dum menſæ accumberet, juſſit ex abaco in publicum exponi, quicquid ibi erat argenteæ aureæve ſuppellectilis. Privatus quidam ſive aulicus Regis, aureorum vaſorum aſpectû illectus, eo eſt audaciæ progreſſus, ut unum ex opulentiſſimis vaſis ab eo petere non dubitarit. Rex autem petitionem ejus audiens, nonnihil ſuſpenſus hæſit, hunc in modum ſecum diſcurrendo: ſi non dedero quod hic poſtulat, meæ præjudico liberalitati: ſi autem dedero, donum [illegible], qui idipſum minimè meretur. Audite tandem ejus reſolutionem. Vas poſtulatum manu apprehenſum Euripidi magno Philoſopho obtulit, & ad aulicum converſus prout Scriptor quidam recenſet, ait: *Fruſtra petitur quod petitur, ſi petens illud mereatur.* Favores dantur benè merentibus, non verò temere poſtulantibus.

22. Sanctus Joannes Evangeliſta dicit, Patrem æternum unigenito filio ſuo plenariam dediſſe authoritatem judicandi bonos & malos, & ſingulis juxta ſingulorum merita vel demerita præmia decernendi vel ſupplicia: *Omne judicium dedit filio, quia filius hominis eſt.* Notate hanc replicationem: *Quia filius hominis eſt*; cur non dicit: *Quia filius ipſius DEI eſt*? In Geneſi legitur, quod priuſquam Jacob Patriarcha, Sanctus ille ſeniculus moreretur, ſuam voluerit ordinare familiam, & de ſingulis filiis ſuis diſponere juxta ſingulorum conditiones & qualitates. Judæ autem primariam dignitatem contulit, ut ſcilicet omnibus fratribus ſuis plena cum authoritate imperaret, ipſi verò ei obedirent: *Adorabunt te filii patris tui. Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt.* Scire optarem cur dignitas iſta non potius Ruben, qui primogenitus Jacobi erat, collata fuerit: aut cur non fuerit translata in Joſephum, qui præ cæteris omnibus charior erat: *Iſrael diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos.* Reſpondet Rupertus: *Quia in dandis benedictionibus non ſuam, ſed DEI voluntatem debuit facere: non carnis affectum, ſed Spiritus Sancti inſtinctum ſequi, dignum fuit.* Pater æternus plenipotentiariam judicandi authoritatem non dedit filio ſuo tanquam filio ſuo, ſed *quia filius hominis eſt.* Ratio autem illius deſumitur à ſancto Auguſtino, dicente: *ut oſtendat quod non naturæ pondere, ſed meritorum diſcretione in aſſumpta carne traditum eſt judicium filio: ut inde ſumas exemplum, quod pro ratione meritorum, non ſanguinis tua bona diſtribuas.*

Gen. 49.

Gen. 37.

*tom. 4. de oper. Spir. Sanct. c. 10.*

*Auguſtin. Tract. 21.*

23. Chriſtus in montem Thabor etiam evocare Moyſen & Eliam voluit, ut gloriæ ſuæ illos participes redderet: *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias loquentes cum IESV.* Cur non potius in illum montem invitavit Davidem, Abrahamum, Jacobum vel alium quendam Prophetam vel Patriarcham? Sanctus Joannes Chryſoſtomus reſpondet: *Eos in medium ducit, qui ſe morti expoſuerant pro his qui Deo placebant: Etenim Tyrannis uterque ſe libere præſentavit Moyſes Pharaoni, Elias Achab.* Potiò hujus mundi aſſeclæ quævis alia bene conſiderant & reſpiciunt, præterquam quod merita nequaquam diſcernant. Imò opus eſt ſæpenumero, ut bene meriti ſua merita ſeorſim reponentes diſſimulent, & aliud ſe juvandi medium adhibeant, ſi id quod virtutum ſuarum præmium eſt, feliciter aſſequi deſiderent. O quot favores Pharao Abrahæ præſtabat, quot mittebat in domum ejus armenta, quot camelos, ſervos, & ancillas? *Fueruntque ei boves & oves, & aſini, & ſervi, & famulæ, & aſinæ, & cameli.* Verum dicet fortaſſe aliquis: Abraham hæc omnia munera accepit, ob raras ſuas qualitates, ſuæque perſonæ dignitatem & merita, &c. Miror qua fronte id dici poſſit, cum Scriptura expreſſe dicat: *Abraham bene uſi ſunt propter illam*: Ly *illam*, quo refertur? *Pudendum ſane dictu, quoniam ſecum pulcherrimam adduxit fœminam.* Etenim aliorum opinionem refero dicentium: *Ecce præclara merita! en pulverem & ſudores! propter illam.* Id quod virtuoſus aliquis non valet impetrare virtute meriti, alius ignorans per mulierculæ alicujus favorem obtinet. Chriſtus autem in faciendis miraculis, præſtandis favoribus & beneficiis, ad perſonalia ſemper reſpiciebat merita, & ad nihil aliud. Abite in pace.

*Matt. 17.*

*Chryſoſt. ibidem.*

*Geneſ. 12.*

*Paulus Scherlogus in Cant. tom. 1. antil. 8. ſect. 2. fol. 369. num. 20.*